

lis esset, atque incorruptibilis, secundum naturam loquendo; & ratio est, quia neque intrinsecam, neque extrinsecam causam corruptionum sui, Deo excepto, haberet; etenim non posset esse causa materialis, ipsa namque est illa, & nemo est sui destructiuum; non a causa formali, quia illa non est ordinata ad destructionem materiae, sed ad destructionem alterius formae in materia existentis, ut se ibidem introducat; neque a causa efficiente creata, quia cum in se non habeat qualitates contrarias sibi intrinsecas, non potest illas promouere ad pugnam, ut causa corruptionis; ergo cum nulla alia causa detur [Deo excepto] respectu cuius ipsa materia sit corruptibilis, dicendum est, quod dato, quod prima materia aristotelica daretur, incorruptibilis esset, ac per se indiuisibilis; ita ipse paripateticus videtur asserere quando illam describit talibus verbis: materia non est quid, neque quale, neque quantum, & aliquid corrumpitur, in hoc abibit vltimum, videlicet illa semper incorruptibilis manet, & indiuisa, cum non sit quanta, nec qualis. *haec tota ad hunc modum*

6. Unum tamen aduerto etiam, scilicet quod & si non esset composita ut totum, esset tamen entitas completa in suo genere, est namque vera, & realis substantia extra suas causas posita, atque adeo sui iuris; non minus ac compositum, in suo genere tamen unusquisque, pro ut in antecedenti subsectione dixi. n. 4. Neque dicas ex duobus entibus completis non fit vnum per se, sed per accidens, atque adeo materia prima, & forma aristotelica non possunt esse entitates completae in suo genere; falsum est hoc dictum, nam corpus humanum in genere corporis humani est entitas completa, sicut & anima rationalis in tali genere, & nihilominus vniuntur essentialiter inter se, & vnum essentialia substantiale faciunt, ut fides docet: ex his *haec tota ad hunc modum*

7. Desumo aliam veritatem, videlicet quod si daretur materia prima aristotelica, non sibi vniuret formas per aliquam potentiam superadditam, sed mediante virtute simpatica, quam ad illas habet, neque in illa reciperentur ut in subiecto inhaesionis, bene tamen ut in subiecto contrahibili, perfectibili, & denominabili, prout dixi in logica, cum de substantia, & hic supra. q. 3. sect. 1. subsect. 1. per totam ad quaestionem igitur propositam resoluendam modo deuenio. *haec tota ad hunc modum*

8. Conclusio mea est, quod materia prima aristotelica, si daretur, esset essentialiter potentia, non tamen excluderet actum entitatum. *haec tota ad hunc modum*

Non